

MEMORIA  
DIOECESIS ASCULI-SATRIANI

ET

EJUSDEM DIOECESIS SERIES

EPISCOPORUM

USQUE AD ANNUM 1853.

NEAPOLI

EX TYPIS JOSEPHI GUERRERA

---

1853



# MEMORIA ANTIQUITATIS.

SITUS, AC REGIMINIS ASCULI DAUNIAE, CUI ACCREDIT SERIES SUORUM  
EPISCOPORUM USQUE AD ANNUM 1853.

Asculum Satrianum Apuliae Urbs ex antiquioribus Dauniae, nunc *Capitanata*, temporali dominio Serenissimi Principis Ferdinandi II. Utriusque Siciliae Regis subiecta, ad Appennini radices posita est (1) non longe ab antiqua diruta Herdonea (2) quae a Costante Imperatore in anno 663; excidio patrato, funditus pene deleta remansit. Antiquitus Asculen situm erat inter, quae Neapolim, Bariumque ducit in loco, qui dicitur vulgo *S. Pietro il Piano* supra tres contiguos colles, suam magnitudinem, amplitudinemque extendebat. Hujus rei testimonium praebent plurima antiqua testimonia, et monumenta, variaeque lapides a civibus effossae, quae inter rudera trium Collium adhuc reperiuntur.

Quando vero Asculen, seu Asculum cum additione Satrianum appellatum fuit, constans opinio est, in Anno 282 ante Incarnationem Nostri Redemptoris. Qua causa? Scriptores multi multa dicunt, sed veritas latet. Urbs ista celeberrima in antiquis fuit quoad numerum civium, necnon pro Victoria in Romanorum exercitu, ac in Pirrum Regem strenue debellantium in valle nunc nomata, *S. Pietro il Piano* (3). Attamen pluribus Fallo obnoxia fuit.

Anno Romae 663 in bello sociali, seu Italico, vel Masico inter coeteras a conjuratis in Romanam Rempublicam stetisset; hanc ob causam Pompejus Strabo, Magni Pompei Pater, illam obsedit, eamque diurna obsidione expugnavit.

(1) Sua posizione geografica.

Latitudine — Gradi 41, Minuti 11, Secondi 22 — Longitudine — Gradi 33, Minuti 16, Secondi 74 — La Longitudine è contata dal primo meridiano, che passa per la punta occidentale dell'Isola di Ferro.

(2) A Plinio, et Catone *Orthonum* vocata, et a Strabone *Ordonium*.

(3) Plutarco nella vita di Pirro, e Lucio Floro *de Bello Tarantino*.

Inquit quinto Christi saeculo cum Vandali, Goti, aliique septentrionales populi Italiam invasissent, istaec etiam Urbs easdem vicissitudines, et fata, uti caeterae Regni Provinciae Urbes subjectae fuerunt, perpessa est.

Circa vero annum Christi 600 Longobardis Principibus paruit. Hinc anno 905 Graeci hanc Urbem occuparunt. At anno 1041 Nostrae Salutis a Normannis capta (1), primum a Guilielmo, deinde a Roberto Guiscardo possessa fuit.

Interim Abiligardus Comes ivit super Trojam, et fugavit Boamundum filium Roberli, et obsedit, et coepit Asculum, sed iterum Robertus recuperavit. Memoriae traditum est etiam, dum praefatus Robertus Dalmatiam peteret, ut illis populis bellum ipferret, Rogerius ejus filius Asulanensem populum rebellatum ire suspicatus, urbem obsedit, eamque captam suis militis diripiendam reliquit, qui injustis flammis a fundamentis etiam perdiderunt (2). Postmodum idem Rogerius in Anno 1111 hanc urbem reaedificavit; quamvis non eadem forma, et magnitudine, quae ei primilus operat, et in uno calle non longe ab urbe ubi nunc sita est.

Anno 1456 die quinta Decembri a vehementi terraemotu pene tota a fundamentis deleta fuit, ita ut Civis eam reliquerunt, et novam urbem in valle antiquorum trium Collium aedificarunt, ubi nunc conspicitur. *Die 20 Martii 1731 ab Averampum*

In Anno 1656 dira peste affecta, ex 6000 civibus, pene mille superstites extiterunt.

Anno 1851 die XIV Augusti maximo terraemotu urbs conquassata est, dum Melphien cum aliis locis circumstantibus delega fuerunt. *Die 16 Iunii 1851 ab Averampum*

Civitas autem Asculen cuidam primum in Feudum data fuerit, ignoratur. Ex certis tamen monumentis constat, Carolum I. d'Angio, Guidoni cuidam de Ansellis, seu de Angellis, illam dono dedisse: cui ex ipsius Caroli donatione successit Christophorus d'Aquino. Familias quoque Mariano, Sabrano, et Florentia in Asulanum Territorium imperium exercuisse ex iisdem monumentis liquet. Circa vero Ecclesiae saeculum XV Domus de Ursinis, Principes de Tarenti, illam possedit. At cum Raymundus de Ursinis, ob perduellionis crimen, hanc civitatem amisisset, Ferdinandus II. ea Trojanum Caracciolo

(1) Leone Ostiense cap. 67.

(2) Mariano Freccia *de subfeudis* lib. 1 tit. de Provinc. et Civit. Reg. f. 63. Blondo lib. 22 Colonucci nell'Istoria del Regno lib. 3 fol. 61.

ducem Melphiensem donavit. Trojano Caracciolo successit Joannes Caracciolo, qui fuit etiam rebellis. Quapropter Carolus V anno 1530 illam Philippo Chalon Principi Arausien si (Oranges) dono dedit: quo tamen sine haerede vita sumpto, Civitas ista in Regis potestatem iterum rediit. Transivit postmodum anno 1532 in ditione Antonii Leina, seu Leyva.

Et quidem anno 1602 erat Antonius Asculi Princeps. Sed inde aere alieno obrutus, suis lapsus est facultatibus. Fuit denique Asculo Familia de Franchis, Ducatus titulo condecorata. Hinc cum eodem titulo ad Familiam Marrulli pertinebat, ac vi Decreti 2 Augusti 1806 juribus feudalibus abrogatis, ad Regiam ditionem transivit, ac in Familia dicti Marrulli mere titulus remansit, quem nunc habet D. Sebastianus Marrulli filius quondam Trojanus.

Quo vero tempore Asculum Lux Evangelica illustraveris, constans, et antiqua traditio est, Asculum Appulum ex illis primis Apuliae urbibus esse, quae ab Apostolicis temporibus Christi fidem amplexae sunt.

Quod autem ad Asculi Episcopos attinet, ex antiquis scriptis manu exaratis, quae olim in tabulario PP. Eremitarum S. Augustini Asculi, quorum Coenobium in anno 1809 die XV Octobris suppressum fuit, asservabantur, eruitur, hujus Ecclesiae, et Herdoneae primum fuisse S. Photinum Graecum gener, et maxima sanctitate praeditum; quamvis aliud sentit Laurentius Iustinianus in suo Lexico Geografico, adnotans Photinum laudatum non Asculi, et Herdoneen Antistitem, sed Beneventi primum extitisse; sed quid mirum? Omnibus patet, primis Ecclesiae saeculis nulli extiterint uno loco, vel unicuique civitati addicti Episcopi, sed Regionarii tantum, et Provinciales, qui huc, illuc cursantes Christi Evangelium disseminarent, Sacmentaque administrarent; ideoque fidem civibus Herdonei, et Asculi praedicantem, Suorum Antistitem ipsi etiam proclamarunt.

Hisce praemissis, et ex superiori observatis tres fuisse hujus Civilatis Asculen Cathedrales Ecclesias colligitur. Prima et praecipua, in qua primus sedit Asulanensis; et Herdoniensis Antistes, fuit in pervestulo Asculo, quae S. Leoni Asculi, et Herdonii Episcopo erat dicata; ibique sacra ossa quiescere credendum esse, ac memoriae traditum est anno 668. Asulanenses aequae ac Larinenses Episcopi, Beneventi Suffraganei declarati sunt, dum Catholicae Ecclesiae praeerat S. Vitalianus Papa, et in Beneventi Cathedra sedebat S. Barbalus.

O'Dono antica Colonia freccia nominata Herdonia. Non si puote provare quando l'Vescovo da O'Dono traslocò in Arco, ritenendo il titolo di Vescovo di Ascoli ed O'Dono. Poichè le scritture cominciarono nel 1567 rimasebbeneva l'archivio della chiesa cattedrale

Altera in Asculo per Rogerium reaedificata, quae nomen S. Mariae de Principio praeseferebat.

Tertia denique est, quae nunc in novo Asculo conspicitur. Hislaec autem Ecclesia sub nomine S. Mariae de Lione erat antiquitus Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, sed postea anno 1455 ex Decreto Callisti Papae III. Fratres transierunt in Coenobium S. Ioannis Baptiste, olim Monialium S. Benedicti; et eorum Ecclesia cum Coenobio sub titulo S. Catharinae Senensis, quod ab Episcopo, et Capitulo fundatum erat, conversum fuit in aedes Episcopales, et Cathedrales sub titulo S. Mariae in Nativitate, et S. Leonis Asculi, et Herdonii Episcopi; titulus postmodum auctoritate Apostolica confirmatus, sedente in Asculana Cathedra Francisco Antonio Boccarelli, uti constat ex antiquo Instrumento de die 1.<sup>a</sup> Maji 1459.

Protector Principalis Civitatis Asculen multis abhinc annis est S. Potitus Martir Calari Sardiniae Urbe procreatus. En modo Cives tantum Protectorem conclamarunt.

Postquam Antoninus Imperator exquisitis tormentis, ut Christi Fidem disereret, Potitus frustra Romae tentaret, ac ægre serens etiam partem populi conversionem subverteret, satellitibus, ut illum necarent, quo vellent, commisit; Romae eductus apud Asculum Apuliae Idibus Ianuarii secundo Christi saeculo capite plectitur; cuius corpus a Christianis sepultum; tractu temporis, Tricarici, ineunte saeculo decimo sexto, in Aede Sanctissimæ Trinitatis repertum est. Cives Asculani ob memoriam martyrii in eorum territorio patrati, in necessitatibus recursum habuerunt apud ipsum, et gratias a Domino obtinuerunt. Proindeque eorum Protectorem Principalem proclamarunt.

Gregorius vero XVI. Summus Pontifex die 8 Augusti 1837 benigne concessit Indulg. plen. Fidelibus quoque defunctis applicandam omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus sacraque communione refectibus qui Cathedram Ecclesiam Asculanam a primis Vesperis usque ad Solis occasum sequenti die 14 Ianuarii, festi S. Potiti Martyris devote visitat ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis pie orant. Statua ejusdem Sancti argentea elaborata in Cathedrali Ecclesia reperitur. \*

In praefata Cathedrali Reverendissimum Capitulum quatuordecim Canonorum insignae Cappae Magnae deferentium existat, et inter ipsos sex adnumerantur Dignitates, nempe Archidiaconus, Cantor, Archipresbyter, animatum curam in ea Dignitate conjunctam, Duo Primicerii, Thesaurarius, ultra Poenitentiarius, ac Canonicus Theologus, necnon Canonicus

*extra ordinem. La chiesa della festa parva trasportare le  
indolezze. Verba salve.*

Iure Patronatus Capituli ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Episcopo Francisco Antonio Punctio fundatus in anno 1706 cum dotazione ducatorum 1400 praevia auctoritate Sacrae Congreg. Concilii. In eo extant item sex Hebdomadarii, ac sex Participantes insignia etiam deferentes. Capitulum a Friderico II. Imperatore die vicesimasexta Decembris 1220 privilegium obtinuit decimas exigere in territorio Asculen, Candelae, necnon Corneti, seu Corleti. (1)

Insuper Capitulum privilegium in platea Civitatis locum peculiarem adsignatum in mercium venditione habebat.

Privilegium Decimas exigendas a Carolo I. D'Angiò die 10 Februarii 1280 confirmatum fuit, uti habetur in memorioribus Capitularibus, ac in Regio Registro Neapolitano anni 1301, quod Diploma Imperatoris Friderici II Carolus II D' Angiò Litteris Regiis transcripsit, eique executionem demandavit, ac Iustitiario Provinciae praecepit, ut Decimae super praediis, et bajulationibus Asculi, et Candelae, prout erat consuetum, incessanter Ecclesiae praestarentur.

In anno 1510 pro Decimis super bonis palmonialibus Civitatis Asculen, ad transactionem Capitulum devenit cum Universitate, ut ipsa in unoquoque anno Capitulo det ducatos 150, uti patet ex Instrumento transactionis de die 27 Junii 1510 a Notario Antonio Palumbo Civitatis Asculen elaborato.

Cathedralis Asculen ad Regium Patronatum pertinebat, uti constat ex Curiae Regiae Cappellaniae Majoris Registris, hisce verbis. « In casu reintegracionis Regii Patronatus in Ecclesiam Cathedralem Civitatis Asculi, ut ex actis de die 14 Martii 1791, Neapolitana Curia Cappellaniae Majoris declarat Ecclesiam Cathedralem Civitatis Asculi fuisse, et esse Regii juris Patronatus, ac proinde Regalem Coronam reintegrandam esse, prout praesenti sententia reintegratur in jus patronatus predictae Episcopaloris Curiae, et Ecclesiae, cum bonis suis omnibus, feudis, Ecclesiis, juribus, redditibus, praeminentiis, privilegiis, ac pertinentiis quibuscumque, et cum jure spectante ad Serenissimum Regem, ejusque in Regno Successores eligendi, et nominandi Episcopum in

(1) L'Anonimo Saleritano.

In Anno 968 ab Enrico Testa cum Alemannis in Italia pervento deletum remansit Corletum, ac proinde ad Abatem Commendatarium Teutonici ordinis dictum territorium pertinebat: hinc ad regiam distinctionem ob suppressionem ordinis. In anno 1812 sub Clemencie postea ad equestrem ordinem servos plenum iuriuit.

quilibet casu vacationis, et cum reliquis juribus ad Principem Patronum pertinentibus. Ne forte vero in posterum jura Regia laedantur, describatur dicta Ecclesia in libris Curiae inter caeteras Cathedrales Ecclesias Regii juris Partonatus ». Ita Curia pronuntiavit etc.

Seminarium adest, quod Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Josephus Campanile a fundamentis excitavit anno 1744, ac pene labefactatum minis terraemotus 14 Augusti 1851, Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Leonardus Todisco Grande refecit, nova aucta aula, ac variis picturis, commodisque nobilitavit; necnon in eo novum, pulchrumque coenaculum construxit, et Sacellum alio loco, aliaque forma erexit.

Quamvis in transactis temporibus ab Innocentio X. Pontifice Maximo, ob residentiam paucorum Patrum, ac Laicorum, suppressa remanserunt Coenobia Patrum Carmelitarum Excalceatorum sub titulo Annunciationis, ac Patrum S. Benedicti nomine *Virginiani*: in Civitate hac Regularium virorum Coenobia usque ad diem 15 Octobris 1809 tres numerabantur, videlicet, Monasterium Fratrum Eremitarum S. Augustini, fundatum in anno 1300; Monasterium Minorum Conventualium S. Francisci; ac denique Monasterium Minorum Reformatorum S. Francisci.

Nunc in Asculen Civitate existit tantum Coenobium Fratrum Minorum Reformatorum, ac memoriae traditum est in anno 1623 die 14 Maii, primam lapidem dicti Coenobii posuit Episcopus Asculi, adstantes Episcopi Andriae, et Luceriae, necnon Principes Asculi, et Andriae cum magno populi concursu.

Extra moenia invenitur in Coenobio olim PP. Eremitarum S. Augustini, supra designatorum, ac in anno 1809 suppresso, Institutum Monialium S. Ligorii habentium curam puellas alumnas intra, et extra educandas, fundatum a Sorore Chatherina Ruggiero, ac Regio assensu munitione die 14 Iunii 1845, cura Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Francisci Iavarone Episcopi Asculi, et Cerinicolen. \*

Adest et honestissimarum puellarum Orphanotrofium sub invocatione S. Iosephi, et S. Teresiae, quod Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Emmanuel de Thomasis fundavit, qui propriis sumptibus primam domum locavit, trecentosque aures de Mensa Episcopali quotannis doti dedit, Regia Sanctione adprobatum sub die 20 Iulii 1797. At anno 1828 die 12 Martii puellae praefatae in derelicto Monasterio PP. Conventualium

VALE  
L. 50

S. Francisci in anno 1809 suppresso, intraverunt, ab Universitate eis donato. Ob vehementem vero terraemotum de die 14 Augusti 1851 ipsae transierunt in Civitate Ceriniole in domo dicta *Teresianorum*, usquedum instauratum fuisse dictum Monasterium in Asculen.

Exlat insuper Xenodochium, ac plures pieatis Montes, seu Legata Pia, cum onere eleemosynas erogandi, ac orphanas do-tandi in unoquoque anno.

Quinque Laicales Congregationes reperiuntur, videlicet Congregatio SS. Sacramenti, Congregatio Sanctae Mariae sub titulo, qui vulgo dicitur *Del Soccorso* in antiqua Ecclesia S. Augustini, olim sub regimine Fratrum Eremitarum, ubi hospitium pro tempore estivo praefati Fratres habebant adnexum. In eadem Ecclesia asservabatur, prout hodie, miraculosissima Imago Beatissimae Mariae Virginis de Misericordia; Congregatio Sanctae Mariae Angelorum, Congregatio sub titulo Purgatorii, Congregatio denique S. Rœchi, vel S. Francisci de Paula.

Dioecesis Asculen sex sub se continet Loca, videlicet, Candelam cum numero animarum 5300. Herdonam numero animarum 700. Stornarellam numero animarum 1006. Stornaram numero animarum 700. Carapellam numero animarum 300. Ortam numero animarum 2500.

Praeter Candelam, quinque praedicti Pagi ad Regiam Divisionem pertinent ab anno 1776, cum Decreto de die 9 Aprilis ejusdem anni, ob suppressionem Sodalitii Jesuitarum vi Bullæ Pontificis Clementis XIV.

Iuvat hic adnotare Herdoneam, seu *Ordona*, fuisse Sodalitium Iesuitarum Collegii Romani, cum onere manutenenendi Cappellanum Curatum in Ecclesia Rurali sub titulo S. Leonis Episcopi Asculi, et Herdoneae, cum pensione in annuos ducatos 130, juxta Decretum Sacrae Congregationis de die 12 Julii 1642. Pagi vero Stornarae, et Stornarellae cum adjacentibus territoriis empti fuerunt a praefato Sodalitio Jesuitico Collegii Romani per ducatos 42512, medio procuratore D. Fabritio Vivo.\*

In anno 1819 vi Bullæ Pontificis de die 14 Junii ejusdem anni, regio assensu munita sub die 20 Julii dicti anni, Civitas Ceriniole ad Concathedralē Ecclesiam erecta fuit: dum antea Archipresbyteralis Ecclesia *Nullius* cum jurisdictione fere Episcopalē erat. Tunc Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Antonius Maria Nappi Asculanensis, et Herdoneensis Episcopus subscribere coepit « Episcopus Asculen, et Ceriniole » tantum.

\* Il Bolla di Clemente X. V. Dell'abolizione della Societa Gesuitica fu firmata il 21 Luglio 1773. Anno V del suo Pontificato.

Ordo Episcoporum, quos comperire datum fuit ex quibusdam antiquis scriptis manu exaratis, praesertim ex iis, quae Asculen in tabulario PP. Eremitarum S. Augustini asservabantur, hic est.

I.<sup>o</sup> Anno 105 — S. Leo ex orientalibus, anno Christi quinto et centesimo, sub S. Evaristo Papa, Asulanensis, et Herdoneensis Antistes electus fuit; ac in suo adventu multos inventit adhuc in tenebris infidelitatis, et in umbra mortis sedentes: proindeque totum in extirpandis residuis erroribus, et in firmanda per totam Dioecesim Catholica Fide se dedit, adeo ut post praetiosam ejus mortem nullus extiterit Asculi, et Herdoneae infidelis. Multa edidit insignia miracula. Et cum has Ecclesias per annos circiter sexaginta novem rexisset, senio confectus, in pace quievit anno Christi 174.

Post S. Leonem usque ad annum tercentesimum, et decimum tertium, quot, et qui Asculi, et Herdoneae extiterint Antistites penitus ignoratur, *quia, ut refert Euseb: indecumna perse\**

II.<sup>o</sup> Anno 313 — Theophilus anno tercentesimo decimo sexto Asulanam, et Herdoneensem Ecclesiam rexit: interfuitque Romanae Synodo sub Melchiade Papa eodem anno celebratae.

III.<sup>o</sup> Anno 366 — Ad Asulanam, et Herdoneensem Ecclesiam regendam post obitum Theophyli, electus fuit Linianus primus, qui floruit anno tercentesimo, et sexagesima sexta sub Damaso Papa.

IV.<sup>o</sup> Anno 384 — Liniano primo vita functo successit in munere Episcopali pro Civitate Asculi, et Herdoneae Emilius, anno tercentesimo, et octogesimo quarto sub Siricio Papa, qui supremum diem clausit anno 415.

V.<sup>o</sup> Anno 415 — Post obitum Emilia inaugurus est Asculi, et Herdoneae Episcopus Joannes primus anno 415, sub Innocentio 1.<sup>o</sup> Papa. E vivis excessit Joannes primus circa annum 447.

VI.<sup>o</sup> Anno 448 — Joanni primo vita functo successor datus est anno 448 sub Leone 1.<sup>o</sup> M. Dorus. De hoc Asulanensi Episcopo mentionem facit Baronius in suis Annalibus. Migravit e vita Dorus anno 490.

VII.<sup>o</sup> Anno 490 — Sophus dictus antea Cadocus post mortem Dori ad regendam Asculi, et Herdoneae Ecclesiam erectus est eodem anno 490, dum Catholicae Ecclesiae praeerat Felix III. Naturae concessit Sophus, non expleto sui Episcopatus anno quarto.

VIII.<sup>o</sup> Anno 494 — Sopho Episcopo suspectus est Epiphanius per Imperatores Diocletiani litteras indictum fuit, *ut scriptura Christianorum abrumarentur igni*

nus anno 494 sub Gelasio primo Summo Pontifice. Obiitque circa annum 520.

IX.<sup>o</sup> Anno 520 — Asculanensem deinde, et Herdoneensem Episcopatum auspicatus est Felix primus, qui floruit sub Hormisda Papa M. anno 520. Decessit tandem Felix anno 533.

X.<sup>o</sup> Anno 533 — Post obitum Felicis primi regimen Asculanae, et Herdoneae Ecclesiae demandatum fuit Marciano eodem anno 533, sub Ioanne XI Papa. Obiit tandem Marcianus anno 543.

XI.<sup>o</sup> Anno 543 — Ubi e vivis excessit Marcianus, electus fuit Asculi et Herdoneae Episcopus Zosimus eodem anno 543 sub Vigilio Papa. Quamdiu vero in Episcopatu vixerit Zosimus, ignoratur.

XII.<sup>o</sup> Anno 585 — Zosimo successit Felix secundus, qui floruit circa annum 585 sub Pelagio Papa M. Supremum diem clausit tandem Felix secundus anno 591.

XIII.<sup>o</sup> Anno 591 — Audit Felicis secundi morte electus est Asculi, et Herdoneae Antistes Linianus secundus eodem anno 591 sub Gregorio Magno. Obiit Linianus secundus post annos novem sui Episcopatus.

XIV.<sup>o</sup> Anno 600. — Praefuit dein Asculanae, et Herdoneensi Ecclesiae David primus electus sub eodem Gregorio Magno anno 600. Vix tandem David Episcopus annum tertium expleverit sui Pontificatus, cum mors illum occupavit.

XV.<sup>o</sup> Anno 603 — Post obitum Davidis primi, rexit Asculanam, et Herdoneensem Ecclesiam Barbarus, inauguratus Episcopus eodem anno 603, sub eodem Gregorio Magno. Qui tandem mortalitatem explevit anno 615.

XVI.<sup>o</sup> Anno 615 — Post Barbarum sedit in Asculana, et Herdoneensi Cathedra Alphanus primus, electus Episcopus eodem anno 615. Agebat Alphanus septimum sui Episcopatus annum, quando viam universae carnis ingressus est anno 622.

XVII.<sup>o</sup> Anno 622 — Huic suffectus est eodem anno 622. Ildebrandus electus Asculi, et Herdoneae Episcopus sub Bonifacio Papa V. Quamdiu vero hanc dignitatem tenuerit Ildebrandus in dubiis est. Creditur tamen ipsum in Episcopatu diutissime vixisse. Quo tempore e vita decesserit, ignoratur.

XVIII.<sup>o</sup> Anno 700 — Rexit postmodum Asculanam Ecclesiam Aldericus, creatus Episcopus anno 700 sub Sergio Papa I. Qui tamen vita funelus est anno 733.

XIX.<sup>o</sup> Anno 733 — Alderico successit Tito, inauguratus Episcopus eodem anno 733 sedente in Romana Cathedra Gre-

gorio III. Episcopus iste cum rexisset Asculanam Ecclesiam circa annos decem, tandem defunctus est.

XX. Anno 743 — Titoni vita functo successor datus est Caesarius (quem alii perperam appellant Ambrosium) electus Asculi Episcopus sub Zacharia Papa M. anno 743 quando vero hicce Episcopus e vita decesserit, incomperatum est.

Sedit post Caesarium in Asculana Cathedra Joannes secundus eliam sub eodem Pontifice Zacharia. Ignoratur tamen annus suae electionis, et mortis. Hoc unum pro certo habetur, ipsum nempe vixisse tempore Gisulphi I. Beneventi Ducis.

XXI. Anno 768 in 72 — Post Joannem secundum praefuit Asculanae Ecclesiae Dayid secundus, quem licet ignoretur annus suae electionis, certum est tamen Episcopalia munera exercuisse sub Stephano Papa III. proindeque ad annum 768 in 72 emananda erit epocha sui Episcopatus.

XXII. Anno 825 — Ad regendam dehinc Asculanam Cathedram adscitus fuit anno 825 sub Eugenio II. Papa Gultus (quem Sipontina Chronologia Guinum appellat) nondum vero Episcopus hicce annum octayum sui Pontificatus expleverat, cum mores illum rapuit.

XXIII. Anno 833 — Gutto vita functo successit Ursus electus Asculi Episcopus anno 833 sub Gregorio Papa IV. qui tandem cum Asculanam Cathedram rexisset annis dnodecim, naturae concessit anno 845.

XXIV. Anno 845 — Urso suffectus est in Episcopali Dignitate eodem anno 845 Ioannes Tertius sub Sergio Papa II. Hic Episcopus e vivis sublatu*s* est, postquam sedisset in Asculana Cathedra annos circiter septem.

XXV. Anno 852 — Asculanam Ecclesiam deinde gubernavit Carolus anno 852, renuntiatus Asculi Antistes sub Leone Papa IV. Episcopali munere functus est Carolus annos sexdecim. Deinde mortuus est.

XXVI. Anno 868 — Post mortem Caroli ad Asculanam Cathedram regendam ascendit Ioannes Quartus electus Episcopus anno 868 sub Hadriano Papa II. Praefatus Episcopus Ecclesiae Asculanae gubernacula simul cum corpore dimisit circa annum 875.

XXVII. Anno 875 — In demortui Joannis Quarli locum, electus est Asculi Episcopus Ajo, Adelchylii Beneventi Principis frater, anno 875 sub Joanne Papa VIII. Laudatus Pontifex anno 886 supremum diem clausit.

XXVIII. Anno 886 — Ajoni successor datus est Conser-

vatus electus Asculi Episcopus, cum esset Summus Pontifex Stephanus V. Hic Episcopus cum rexisset Asculanam Ecclesiam annos circiter octo, vita functus est.

XXIX.<sup>o</sup> Anno 894 — In Conservati locum substitutus est Petrus primus adlectus Asculi Episcopus anno 894; sub Formoso Papa. Quamdiu vero in Episcopatu vixerit Petrus, ignoratur.

XXX.<sup>o</sup> Anno 908 — Valdephridus post Petrum primum rexit Asculanam Ecclesiam anno 908 sub Sergio Papa III. Sedit iste Episcopus circa annos tres, postea decessit.

XXXI.<sup>o</sup> Anno 911 — Ioannes Quintus Valdephrido suffectus est anno 911 sub Anastasio Papa XIII. Quamdiu vero Episcopalem Dignitatem obtinuerit Joannes V. in tenebris delitescit.

XXXII.<sup>o</sup> Anno 954 — In loco Ioannis suffectus est Vincentius anno 954 sub Agapito II. Papa. Mortem appetiit Vincentius vix expleto tertio sui Episcopatus anno.

XXXIII.<sup>o</sup> Anno 957 — Praefuit post obitum Vincentii Asculanae Ecclesiae Landulphus, inauguralis Episcopus anno 957 sub Joanne XII. Papa. Ignoratur tamen quo anno obierit.

XXXIV.<sup>o</sup> Anno 965 in 72 — Post mortem Landulphi suffectus est Maldephridus sub Joanne Papa XIII. Annus electio-  
nis ejus ignoratus est.

Post Maldephridum sedit in Asculana Cathedra Alo, di-  
ctus etiam Alix, anno 984 sub Joanne Papa XIV. Iste opera Otho-  
nius II. ad Pontificatum ascendit, postea in exilium vita obiit.

XXXV.<sup>o</sup> Anno 998 — Aloni successit Alphanus secundus, renunciatus Episcopus anno 998 sub Gregorio Papa V.

XXXVI.<sup>o</sup> Anno 1009 — Rexit dein Asculanam Ecclesiam Mundus. De hoc Episcopo mentio fit in quodam Diplomate Oligarii Stella Ducis anno 1009 edito. Mortalitatem exuit Mun-  
dus, vix anno secundo sui Episcopatus expleto.

XXXVII.<sup>o</sup> Anno 1011 — Alphanus Tertius, Alphanii Se-  
cundi Nepos, Mundo successor datus est anno 1011 sub Ser-  
gio Papa IV. Quo die, vel anno defunctus est, latet omnino.

XXXVIII.<sup>o</sup> Anno 1053 — Anno 1053 sub Leone Papa  
IX. Asculanam sedem tenuit Uldericus, seu Valdericus, qui  
dum sextum Episcopalis muneris annum ageret, ex hac vita  
migravit.

XXXIX.<sup>o</sup> Anno 1059 — Post Uldericum sedit in Ascu-  
lana Cathedra Maurus electus Episcopus anno 1059 sub Nico-  
lao Papa II. Die 13 Augusti interfuit consecrationi Ecclesiae  
S. Angeli in Wolturno. Mortuus est anno 1072.

XL.<sup>o</sup> Anno 1072 — Mauro suffectus est Aurelius, ele-

elus Episcopus anno 1072 sub Alexandro II. Vita functus est anno circiter 1091.

XLI.<sup>o</sup> Anno 1092 — Aurelio successit Ioannes VI. electus Episcopus Asculi anno 1092 sub Urbano II. Papa. Quamdiu rexerit, ignotum est.

XLII.<sup>o</sup> Anno 1107 — Ioannem exceptit Risandus<sup>1</sup>, qui, etsi quo anno Episcopalem Dignitatem obtinuerit, in obscurō sit, dubium non est, quia ipse Asculanam Ecclesiam moderaretur anno 1107, vertente sub Pontifice Paschale II.

XLIII.<sup>o</sup> Anno 1167 — Risando subrogatus fuit Gotfredus, qui fungebatur Episcopali officio tempore Gulielmi II. anno 1167. sub Alexandro Papa III. Annus obitus ejus latet.

XLIV.<sup>o</sup> Anno 1179 — Gotredo successit Ioannes septimus, qui eodem anno interfuit tercio Concilio Lateratiensi ab Alexandro III. celebrato. Quamdiu sederit, incertum est.

XLV.<sup>o</sup> Anno 1226 — Post Ioannem Septimum Asculanam Cathedram substituit Ioannes Octavus de Monte, electus Episcopus sub Honorio Papa III. anno 1226. Quo anno si mortuus, latet.

XLVI.<sup>o</sup> Anno 1265 — Ioanni Octavo Episcopus suffectus est nomine Niger, qui memoratur in Regio Registro Neapolitanō anno 1276, at non expresso ejus nomine. Forte iste Episcopus idem est ac Anonymus ab Ughellio ad dictum annum emendatus sub Clemente Papa IV. Annus ejus obitus fuit 1276.

XLVII.<sup>o</sup> Anno 1276 — Eodem anno 1276 Nigro successit Benedictus electus Episcopus ab Innocentio Papa V. Omnia, quae de hoc Episcopo habentur, videri possunt in Registro Vaticano q.<sup>o</sup> 29, fol. 243. Cessit e vita nondum expleto sui Pontificatus anno quarto.

XLVIII.<sup>o</sup> Anno 1280 — Post Benedictum regimen suscepit Frater Adam, cuius ignoratur Ordo, electus Episcopus anno 1280 sub Nicola<sup>9</sup>. Papa III. Mortem appetiit anno 1301.

XLIX.<sup>o</sup> Anno 1301 — Adamo in pastorali munere substitutus est Rogerius anno 1301, sedente in Petri Cathedra Bonifacio VIII. Quae habentur de hoc Episcopo, asservantur in Registro Neapolitanō. Rogerii Episcopale onus diuturnum non fuit.

L.<sup>o</sup> Anno 1308 — Frater Angelus successit Rogerio, cuius Ordinis ignoratur, electus Episcopus anno 1308 sub Clemente V.

LI.<sup>o</sup> Anno 1310 — Frater Angelus successorem habuit Franciscum primum, qui anno 1310, Avenione sub Clem-

te V. eodem Pontifice e vivis excessit, uli legitur in Diplomatico, quod asservatur in Registro Vaticano.

LII.<sup>o</sup> Anno 1310 — Franciscus Secundus Episcopus successit Francisco primo, translatus ab eodem Clemente V. anno 1310 die 3 Julii: uli patet ex Registro Vaticano Epist. 684 fol. 167. Mortuus est circa annum 1325.

LIII.<sup>o</sup> Anno 1325 — Circa eundem annum a Joanne XXII. Francisco secundo suffectus fuit Petrus secundus, qui diem clausit extremum anno 1353.

LIV.<sup>o</sup> Anno 1353 — Petro Secundo vita functo successit eodem anno Petrus Tertius De Peronlis Canonicus Terracensis, ab Innocentio VI. electus. Naturae cessit viginti tribus ab inauguratione annis expletis.

LV.<sup>o</sup> Anno 1376 — Ubi fatis cessit Petrus tertius de Peronlis, electus fuit a Gregorio IX. anno 1376 Asculi Episcopus Petrus Quartus, qui migravit e vita anno 1396.

LVI.<sup>o</sup> Anno 1397 — Petro Quarto vita functo successit Asculi Episcopus Franciscus Pascarellus de Asculo, Ordinis Eremitarum S. Augustini a Bonifacio IX. eodem anno electus.

LVII.<sup>o</sup> Anno 1419 — Post obitum Pascarelli creatus est a Martino V. eodemi anno Asculi Episcopus Iacobus, Primicerius S. Petri Asculanensis. Vixit in Pontificatu annos triginta novem, et obiit anno 1458.

LVIII.<sup>o</sup> Anno 1458 — Iacobo suffectus est a Pio II. anno 1458. Ioannes Antonius Boccarelli Decretorum Doctor. Hic Episcopus postquam rexisset annis undecim, a Paulo II. translatus fuit ad regendam Nolanam Ecclesiam anno 1469.

LIX.<sup>o</sup> Anno 1469 — Post praedicti Episcopi translatiōnem, electus est Asculi Episcopus a Paulo II. die 4 Septembris eodem anno, Franciscus Petrus Luca de Gerona, Ordinis Praedicatorum. Decessit anno 1477.

LX.<sup>o</sup> Anno 1477 — Fatius, seu Fabius, Antonii de Galeranis filius Nobilis Senensis a Systo IV. post obitum Petri Lucae die 27 Septembris eodem anno Asculi Episcopus est renuntiatus. Nondum expleto anno secundo in natali solo vitam finit.

LXI.<sup>o</sup> Anno 1479 — Iosue Gaeta Nobilis Neapolitanus Civis, Ambrosii, et Lucretiae de Angelo filius, utriusque Iuris Doctor, in Episcopatu Fabio successit sub Systo IV. circa eumdem annum.

LXII.<sup>o</sup> Anno 1509 — Agapitus Neapolitanus, Iosue Neponos ex ejusdem relegatione Asculanensis Episcopus evasit an-

no 1509 die 23 Junii sub Iulio II. Quamdiu vixit in Pontificatu, ignoratur.

Idem Iosue per mortem dicti Agapiti sui Nepotis ad dissumum Episcopatum rediit, forte sub Pontificatu Iulii II. vel Leonis X., et illum relinuit usque ad annum 1517, postea sponte illum concessit Ioanni Francisco Gaeta fratri suo germano.

LXIII.<sup>o</sup> Anno 1517 — Ioannes Franciscus Gaeta; Iosue germanus frater, ex concessione ejusdem, Asculi Episcopus electus est a Leone X. anno 1517 die 18 Maji. Praefuit annis circiter quadraginta novem. Fato tandem cessit. At quo anno in dubiis est.

LXIV.<sup>o</sup> Anno 1550 — Incertum est, num Laetantius Roverella Ferrarensis, qui unus fuit ex Patribus Concilii Tridentini, Asculi Dauniae Episcopus fuerit, vel Asculi in Piceno. Si fuerit Asculi Dauniae, epocha Praesulatus istius hic ponenda est, anno videlicet 1550 sub Iulio III, et rexit Ecclesiam annis sexdecim. Si vero fuerit Episcopus Asculi in Piceno, tunc anni Episcopatus enumerandi sunt quadraginta novem, et annus suae mortis emandandus est ad annum 1566.

LXV.<sup>o</sup> Anno 1567 — Rexit deinde Asculanam Ecclesiam Marcus Landus Venetus, vir rarissimae eruditionis; electus a S. Pio V. die 22 Augusti 1567. Hic Episcopus, sua civiumque pecunia, Cathedram Ecclesiam ampliavit, et quasi a fundamentis excitavit. Fato tandem cessit Landus anno 1593, et sepultus est in medio Cathedralis, cuius Epitaphium Federicus Sepa ejus rei familiaris administrator, et Templi Thesaurarius sua pecunia posuit.

LXVI.<sup>o</sup> Anno 1593 — Frater Franciscus Bonfilius Ordinis Minorum Conventualium Magister Generalis, Asculanensis Praesul electus est a Clemente Papa VIII. anno 1593. Decessit vero anno 1603.

LXVII.<sup>o</sup> Anno 1603 — Frater Ferdinandus D'Avila Ordinis Minorum de Observantia post obitum Bonfilii Asculi Episcopus electus est ab eodem Clemente VIII. anno 1603. Vixit in Episcopatu annos septemdecim, et in Cathedrali, quam variis ornamentis auxit, sepultus est.

LXVIII.<sup>o</sup> Anno 1620 — Praefuit Asculanae Ecclesiae post D'Avila Franciscus Maria de Marra Neapolitanus, electus a Paulo V. die 29 Aprilis anno 1620. Multa contulit beneficia populo Asculano. Nondum quartum expleverat annum, cum mors illum abstulit.

LXIX.<sup>o</sup> Anno 1625 — Franciscus Andreas Gelsominus Etrusco tempore di Monsignore Cardinale brucia l'Archivio, e Sayrestia, per cui rimasero bruciate cause, e parati sacri

scus, Patria Corfoniensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini, dum Romae officio Procuratoris Generalis sui Ordinis fungebatur ab Urbano Papa VIII. Asclanus Praesul pronuntiatus est anno 1625. E vita vero decessit anno 1629 in Festo SS. Conceptionis, in cuius honorem librum scripseraf cui titulus — Thesaurus coelestis devotionis Beatae Mariae Virginis.

LXX.º Anno 1630 — In locum demortui Gelsomini substitutus est ab eodem Urbano VIII. anno 1630 Gregorius Bolognetti nobilis Bononiensis, Romae natus. Episcopus hic ab ipsomet Pontifice Apostolicus Nuntius missus ad Ferdinandum II. magnum Etruriae Ducem: mox ad Ludovicum XIII. Regem Francorum.

LXXI.º Anno 1639 — Michael Retius, seu Resta Epidauensis (Raguso), primum Episcopus Nuscanus, mox ad Asculanam Ecclesiam translatus est ab eodem Urbano VIII. anno 1639 die 8 Augusti, quam rexit annis novem, postea e vivis sublatus est.

LXXII.º Anno 1648 — Rexit deinde Ecclesiam Asculanam Pyrrus Aloysius Castellomata, Patritius Salernitanus, qui electus fuit Episcopus ab Innocentio X. statim ac regimen animalium accepit, primum tolum se dedit in reficiendo suis sumptibus Episcopium, et Ecclesiam SS. Virginis Annuntiatae extra moenia Civitatis sitam, (cujus hodie ne vestigium quidem superest, praeter redditus, qui sunt nunc Seminario adnexi), juxta quam Collegium erexit Clericorum, ditans illud Bibliotheca, et rebus omnibus, quibus adoloscentuli opus habebant. Ecclesiam S. Potiti Martyris a suo Praedecessore d'Avila restauratam, elegantissime exornavit. Sacellum S. Leonis Episcopi in ipsa Cathedrali extruxit. Pluraque alia Asculanae Ecclesiae contulit beneficia. Anno vero 1656 dum dira peste Asculanensis populus laboraret, ipse ob sibi commissum gregem, fata subire exoptans, omnes sedulo inviseret, paterno reficere affectu, Ecclesiae Sacraenta propriis manibus administrare, et extremo agoni suis precibus, et cohortationibus opem ferre, gaudebat. Qua infirmitate affectus, eodem anno mortalitatem explevit.

LXXIII.º Anno 1657 — Pilippus a Basilica Petri, nobilis Mediolanensis, Castellomata Episcopo datus est. Successor ab Alexandro VII. die 28 Maii anno 1657. Fato cessit anno 1659.

LXXIV.º Anno 1659 — Praefuit deinde Asculanae Ecclesiae Jacobus Philippus Bescapè, Nobilis Laudensis, ab eodem Alexandro VII. pronuntiatus Episcopus anno 1659. Episcopus \*

hicce sua peculiari pecunia, alas a latere Ecclesiae instauravit: Animo quoque conceperat novam Cathedram a fundamentis aedificare, ob quam rem multam concesserat pecuniam. At mors illum occupavit, superstisique pecuniae Venerabilis camera partim Sacrario hujus Ecclesiae, sacrisque supellectilibus, partim sibi ipsi addixit.

LXXV.<sup>o</sup> Anno 1672 — In locum defuncti Bescapè substitutus fuit a Clemente X. die 14 Novembris anno 1672, Felix Via Cosentinus. Qui rexit Ecclesiam annis septem, tandem decessit anno 1679. Hic Episcopus, dum Romae in Collegio Sapientiae Sacrae Theologiae Doctoris officio fungeretur, in lucem edidit opus, cui titulus — Summa Juris Canonici.

LXXVI.<sup>o</sup> Anno 1680 — Felici Successor datus est ab Innocentio Papa XI. die 1 Aprilis anno 1680, Philippus Lenti, natus Asculo Piceno, qui anno 1684 fato cessit.

LXXVII.<sup>o</sup> Anno 1685. — Lenti Episcopo successit Franciscus Antonius Punzi, Patricius Gravinensis, ab ipsomet Innocentio XI cooptatus die 14 Maii anno 1685: Laudatus Episcopus anno 1692 Dioecesanam Synodum habuit. Cathedram Ecclesiam multis in locis instauravit, ornavitque, èamque sacris supellectilibus, et Choro ditavit, quam postea die 30 Iunii anno 1709 solemniter dedicavit. De suo Canonicalum instituit dictum de Iure Patronati Capituli. Aureos quingentos diurnis precibus in Choro attribuit. Fuit de Capitulo optime meritus; nam ut Capitulum ipsum agrum sibi emeret (vulgo dictum *Montecorbo*) auctor fuit; qua in emptione multum de suo contulit. Decessit tandem 28 Martii anno 1728.

LXXVIII.<sup>o</sup> Anno 1728. — Francisci Antonii Punzi successor fuit datus a Benedicto Papa XIII. die 10 Maii anno 1728 Franciscus Antonius de Martinis a Fragnitello, Beneventanae Dioecesis. Episcopus hic, utpote dives, quamplurimis Asculi colonis, ac pauperrimis familiis subsidio fuit. Magnam impensam egit in Cathedram Ecclesiam; quae satis superque demonstrant, quam majora praestitisset, et instar sui Praecessoris in Episcopatu diutissime vixisset, Neapolij naturae debitum persolvit anno 1737.

LXXIX.<sup>o</sup> Anno 1737 — Episcopus de Martinis successorem habuit Josephum Campanile Barulensem, qui cum antea a Jorio Nazarethi Archiepiscopo Archipresbyteratu illius Ecclesiae decoratus esset, a Clemente Papaâ XII. anno 1737 Asculi Episcopus creatus est. Multa laude digna gessit. Curavit ut Canonicâ et Mansionarii Cathedralis Ecclesiac Cappa Magna exor-

Antonius Martinis  
Episcopus de Martinis  
Archipresbyteratus  
Asculi

narentur. Sacello S. Josephi cum ejusdem simulacro ab Episcopo de Martinis jam extructo, aureos quadrigentos doti dedit, <sup>\*</sup> centum vero S. Vincentio a Paulo, <sup>\*</sup> Quamplurima preiosa suppellectilia lacupletavit Sacrarium. Baptisterium <sup>[mar]</sup> moreum construxit. Prima jecit hodierni Seminarii fundamenta. Pauperes adeo adamavit, ut anno 1764 in summa inopia annonae, cunctis auxilio fuerit. Migravit e vita anno 1771 die 17 Octobris.

LXXX.º Anno 1771 — Rexit dein Asculanam Ecclesiam Emmanuel de Thomasiis a Clemente XIV. renuntiatus Episcopus die 21 Decembris anno 1771. Utriusque Iuris Doctor, artibus humanioribus, scientiisque apprime ornatus, sacrarum litterarum peritissimus. Cathedralem Ecclesiam in augustiorem, elegantioremque formam, ut nunc conspicitur, redigit, eamque albario opere, anaglyptis, picturis, anis, cancellisque marmoreis ornavit: argento insuper, et sacra supellectili dilavit. Episcopalem Domum ampliavit, et meliori forma donavit. Clericorum Seminarium dilatavit, Orphanotrofium instituit, eique aureos tercentos de Mensa Episcopali quotannis doti dedit. Anno 1785 ineunte Dioecesanam Synodum habuit, cuius acta perierunt malorum fraudulentia. Canonicos Caligati violacei coloris, et Flocco ejusdem coloris in pileo decoravit. Animarum zelo flagravit. Paucis ab inauguratione annis elapsis, captus oculis, mirum quanta patientia, et animi quiete hujusmodi jacturam tolerit. Sacrum quotidie juxta praesertim Calendarii peragere, et omnibus festis diebus sermonem ad populum habere, in deliciis habuit. Diem obiit supremum die 5 Ianuarii anno 1807 aetatis suae anno ineunte 85 non sine lacrymis totius Dioecesis.

LXXXI.º Anno 1818 — A morte Episcopi de Thomasis Asculana Ecclesia annis duodecim stetit viduata Pastore, cum praeter omnium expectationem anno 1818 die vicesima-sexta Maji electus fuit a Pio Papa VII. Asculanensis Episcopus Antonius Maria Nappi Nolanus, vir ingenio, prudentia, et humanitate spectabilis. Dioecesanam Synodum habuit anno 1824. Episcopalem Domum picturis exornavit. Novum Sacrarium extruxit. Variis sacris suppellectilibus Ecclesiam didavit. Decessit autem die 2 Maji anno 1830 in Nola.

LXXXII.º Anno 1832 — Franciscus Iavarone Sacerdos Neapolitanus in Regio Archigymnasio Neapolitano Theologiae Dogmaticae Professor, Accademiae Herculancensis Archaeologiac Socius Ordinarius; Herculansum Volumen Inter-

\* come rilevai dall'Instrumento di fondazione degli 18 Febbraio 1744 per Nota Domenico Bucini

\* Come rilevai dall'Instrumento de 10 Febbraio 1756 per Nota Domenico Bucini

pres; Institutior Filiarum Regis Francisci I; die 29 Iunii anno 1832 creatus fuit Episcopus Asculi, et Ceriniolen; die vero 20 Aprilis anno 1849 translatus fuit ad Episcopales Ecclesias Acerrarum, et S. Agatae Gothorum.

*Obiit 14 Augusti 1854*  
LXXXIII.<sup>o</sup> Anno 1849 — Leonardus Todisco Grande, Patricius Vigiliarum Baren Provinciae, Canonicus Cathedralis dictae Civitatis, ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Desiderio Mennone Laquedonien meritissimo Episcopo ad per difficile munus Vicarii Generalis peragendum advocatus: eo demortuo, plenis suffragiis Capituli, Vicarius Capitularis Laquedonien Dioeceseos creatus; Episcopali Sede Laquedonien provisa, ab Episcopo Neritonense in Vicarium Generalem ac citus, ad Episcopalem Sedem Crotonen die 5 Octobris anno 1833 evectus fuit, sedente in Suprema Ecclesiae Specula Gregorio XVI. Hinc Praelatus Domesticus Pii IX. Pontificioque Solio Assistens declamatus, in Episcopales Sedes Asculi, et Ceriniolen die 20 Aprilis 1849 translatus fuit. Seminarium pene labefactatum vi. magni terracmotus de die 14 Augusti 1851 resecat, novum coenaculum, quam maxime commodum, novasque officinas extruxit; Oratorium fixis sedilibus in duplo ordine alia in loco erexit, eumque Pontificis gratiis Pii Papae IX asservandi in perpetuum Eucharistiae Sacramentum, et Altaris quotidie privilegiati, ditavit; quartam Aulam pro Convictoribus, et loca decentia pro edocendis adjunxit, et reliqua variis picturis, commodisque nobilitavit.

Aedes Episcopales, propriis sumptibus, nec non Cathedram, per sex menses clausam ob eundem terracmotum resecit, restauravitque.

*Migravit in vita die 12 Maii 1872.*